



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Lvcaë Pinelli Societatis Iesv, Theologi, Exercitia
Spiritualia Qvadragesima, De Sacrosancto Eucharistiæ
Sacramento**

Pinelli, Luca

Coloniae, 1608

Christvs Orat Et Agonizat in horto. Luc.22.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59691)

20 MEDITATIONES.
CHRISTVS ORAT ET AGO-
nizat in horto. Luc. 22.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. **C**ONTEMPLARE, quomodo
Christus cæna peracta ingreditur
hortum, instar alicuius qui ingressurus sit
locum certaminis: inter eundem verò non
destitit iustitia plenos Apostolos, qui
lachrymantes & suspirantes eum seque-
bantur, consolari, ac metorem ipsorum le-
nere.

II. **I**ESVS in hortum veniens, oratio-
nem, sine vilo solatio fundit, Patris enim
voluntas erat vt pateretur pro nobis; An-
gelus ei crucem offert; Apostoli comites
eius somno oppressi dormiunt; Judas autè
ad illius proditorem vigilat, cohortesque
ad illum comprehendendum animat.

III. **C**ONSIDERA quomodo sanctissima
Christi anima præcipiens & procogitans
passionis suæ tormenta: populi Iudaici ob-
stinationem: Christianorum ingrati-
tudinem, in eas angustias redacta fuit, vt san-
guinem toto corpore sudauerit.

DOCV.

DOCUMENTA.

1. **F**ili, tum meriti tibi perfecta charitas, quando etiam cum tuo detrimento non destiteris consolari afflictos: quemadmodum Christus in maximis doloribus & angustiis constitutus, non destitit consolari merentes Apostolos.

2. **D**isce à Christo non deserere orationem, etiamsi nullum ex ea percipias solatium; quia verum orationis fructus est Deum voluptate afficere, sibi vero potius compunctionem quam consolationem procurare.

3. **S**i Christus aliorum peccata mente tantummodo pertractans, in eas angustias incidit, ut sanguinem sudauerit, quid tibi faciendum est miser & infelix peccator?

COLLOQVIVM.

Vndenam, bone IESV, hæc tua afflictio? Nondum præsentibus sunt inimici: tecum est Angelus: tecum sunt Apostoli: tecum est Innocentia, cur ergo metuis? Hei Domine, timoris huius tempestas, quæ sanctissimæ humanitatis tuæ nauiculam concutit, à peccatis meis existit, & ego uti aliter Ionas cum Apostolis in ytramque au-

rcm

rem dormio. O Petre. O filij Zebadei, vigi-
late, somnum ab oculis vestris excutite,
Magister enim vester idcirco vos elegit, &
secum duxit, vt ipsum consolarimini. Ex-
pergiscere tu etiam Anima mea, sed caue
ne Christi passionem impedire coneris, ne
fortè audias, *Vade post me Satana, nō enim sapi-
ea que DEI sunt.* Si enim Christus mortē nō
oppeteret, quis ab æterna morte nos vin-
dicaret? Sufficit ergo, quod illi compariaris.
Intuere vt aliquando ad Apostolos abeat,
non nunquam ad Patrem confugiat, nec ta-
men vllum auxilium aut solatium inueni-
at. Quam benè, Redemptor mi, de te inquit
Esaias: *Circumspexi, & nō erat auxiliator, que si-
ui, & non fuit qui adiuuaret.* Veruntamen vt
video, Domine, non eges adiutorio, quia a-
mor & desiderium amarum hunc calicem
pro nobis eporandi, te tantopere
urgent ac stimulant, vt timor
ad persuadendam tibi
fugam minimè
sufficiat.